



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Meyeri S. Literarum Doct. & Prof. Uxor Christiana Sive De Conjugio Inter Duos Deque Incestu Et Divortiis, Dissertationes Tres

Meier, Johannes

Amstelædami, 1688

Q. I. An fas sit, non obstante hac lege fratris defuncti viduam ducere, vi
præcepti Deut. XXV. 5. sq.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40272

tere alterius illius generalis exceptionem esse, sed quæ peculiari
 quadam ratione nitatur: ac proinde in exemplum trahi nec pos-
 se, nec debere. Dominum distribuisse populum illum non
 in tribus duntaxat, sed etiam in familiarum capita, in quibus
 quum primogeniti dominarentur, familiæ ex illis fuerint censi-
 tæ, ne in infinitum excreceret earum numerus. Itaque statu-
 isse Dominum, ut si primogenitus eousque vixisset, ut ducta
 uxore caput familiæ esset, & absque mascula sobole decederet,
 tum frater ab eo proximus, ut in primogenituram, sic etiam in
 fratris demortui uxorem hæres esset, & ita quidem ut liberi ex eo
 matrimonio suscepti de fratris illius mortui nomine censerentur,
 ut sic regeretur illa incestuosæ alioqui conjunctionis ignominia.
 Hanc igitur fuisse rationem, cur quod alioqui incestuosum fuisset,
 tamen a Domino sit mandatum, quod nulla causa sit, cur
 hodie nonnulli suis prorsus dammandis libidinibus prætexant,
 quum neque jam valeat hæc ratio, diruta illa macerie, quæ po-
 pulum Dei certis finibus distinctum a reliquis separabat, neque
 Dei verbum isti habeant, ex quo nunc quoque valere istam sin-
 gularem exceptionem colligere possimus. Stare igitur illam con-
 clusionem, neque levirofratram (excepta tantum olim specie
 memorata) neque sororio glorem ex jure divino ducere fas
 esse.

IV. Fr. Iunius ad illa verba Deut. xxv. com. 6. *ut non deleatur nomen ejus ex Israele*, ita commentatur: utrumque interfuit populi Dei, tum ut primogenitorum jus in familia continuaretur ad significationem ceremoniam exspectationis Christi tanquam primogeniti inter multos fratres Rom. 8. qua Iudæos olim oportuit sustentari; tum vero reipublicæ interfuit, ut hæreditatum ratio integra permaneret, ac non conturbatis capitibus familiarum confusio invalesceret, de qua Deus caverat diligentissime Num. 16. & ultimo. Gerhardus *de Conjug.* §. 319. 320. 321. dicit, non esse causam exceptionis de fratria ducenda pietatem in fratrem, sed conservationem & distinctionem familiarum in tribubus Israelis. Ergo hanc specialem esse certi temporis & certi populi & certi finis; eamque causam exceptionis Christo exhibito expirasse. Quem sequitur Consultissimus Carpzovius. *Lib. II. Jurisp. Consist. Defin.* 91. in N. T. Christo jam nato & rationem legis & legem ipsam penitus expirasse. Gisb. Voetius *in Polit. Eccles. Par. 1. l. 111. Tra. 1.*

de

de Mat. Sect. II. c. IV. Q. I. Distinguit inter Jus naturale quoad Deum, & quoad hominem. illo jure honestari posse conjugium fratris cum sorore, per mutationem status rei seu objecti. . . & sic filias Adami fuisse idoneum subjectum conjugii cum fratribus. isto jure ut conjugium fratris cum sorore, sic nec leviri cum fratria honestari posse. ita ut prohibitio legis communis ac perpetuæ nos constringat; nec quisquam præter eam tale quid agere possit: nisi Deus peculiariter hoc alicui revelaret, & specialiter mandaret. quod cum hætenus factum non sit, communi lege nos teneri. Monet insuper, hunc casum agitatum fuisse tempore Henrici VIII. Regis Angliæ, qui fratris sui Arturi viduam Catharinam, dispensante Papa Rom. Julio II. duxerat, eandemque postea ob scrupulum de incestu conatus fuerat repudiare, inque eum finem judicia Academicarum Oxon. Cantabr. & complurium exterarum exquisiverat, a quibus responsum erat, conjugium illud a Catharina esse incestuosum, nec posse in eo dispensari.

V. Ad quæstionem propositam negando responderunt præter jam nominatos, *Melanchthon & Fac. Theol. Rostoch. An. 1559.* apud *Dedekennum Theol. Conf. Vol. III. Lib. III. Sect. II. Tit. II. num. 7. 8.* & *Fac. Theol. Lips. An. 1650.* apud eundem in *Append. ad Vol. III. Lib. III. Sect. 2. Tit. 2.* Negat etiam *Fac. Theol. Jenensis* de dimidio fratre, apud eundem *Dedek. Append. ad vol. 3. lib. 3. Sect. 1. Tit. 2. Num. 1.* Quibus meam *ἐπίλογον* adjungo. *Primo* neutiquam dubitare fas est, quin Lex Lev. XVIII. 16. de fratria, si non tantum, tamen præcipue post ejus mortem sit intelligenda, quandoquidem, vivente fratre, cum uxore ejus adulterium committitur, contra ejusdem capituli versum. 20. *Secundo*, minime probanda Pontificiorum, & qui eos imitantur, sententia, præcepta omnia, quæ de gradibus habentur in Levitico, jure divino non obligare Christianos. Quod illi tantum eo fine faciunt, ut Ecclesiam in quibusdam gradibus consanguinitatis & affinitatis in Levitico expressis, dispensare posse probent, juxta *Concil. Trid. Sess. 24. Can. 3.* Sed mirum, hoc Christianos Evangelicos sustinere, quemadmodum fecit Bucholtzerus in *Resp. Jur. pro Matrim. Principis cum Defunctæ uxoris sorore contracto.* Is enim asserere non erubescit, Legem Mosis non magis ad Christianos pertinere, quam ad eos, qui vixere ante Moysen; nos non obligare in rebus politicis & secularibus. *Contrarium suo loco probare satagemus. Tertio*, neque nobis arridet Karæorum,

rum, & Magni Calvini, acutissimi sane & solidissimi Theologi solutio, quam Marefius *Disput. de Grad. Proxim. Th. x* cum aliis amplexus est, fratris scilicet nomine intelligi proximum cognatum defuncti intra gradus lege Dei concessos, & ubi defuncto nulli restarent fratres proprie dicti, vel nepotes aut patrui, qui nomen & decus ac jura familiae tueri possent. Cum lex fratres concernat stricte sic dictos, sicut solide demonstrat Beza. Neque suda ea in re peccasse, sed quod usu tunc erat receptum, observasse videtur. *Quarto*, Bezæ & Voetii iudicio libenter accedo, communi & generali lege nos teneri, nec mandatum Dei speciale facile in exemplum trahendum, & libidini fibulam non esse laxandam, ubi nos non habemus specialem hujus rei revelationem, & peculiare mandatum.

VI. *Quinto*, his tamen non obstantibus, dissimulare nolo, rationes legis, ob quas expiravit sub N. T. mihi non plane fastidire. Cum hoc jus levirationis apud Patriarchas ante Mosem jam fuerit in usu, in familia Iudæ, cujus origo procul dubio ex divina revelatione. Non quod in dubium vocem varios typos & ceremonias ante Legem Sinaiticam, sed quod mystica ratio & abolitio hujus legis, sit obscurior. Primogenituram respexisse primogenitum omnis creaturæ, inter multos fratres, quis inficias ibit? neque tamen ideo omne jus primogenituræ nunc sublatum, quod a mundi primordiis locum habuit, cujus ratio habetur hodieque in personarum Illustrium Successione, quia primogenitura est fortis naturalis quoddam genus, ut quia humana industria conservationem splendoris familiarum sine lite dirimere non potest, hi, quibus nascendi beneficium citius obtigit, etiam succedendi jure ideo primo fruuntur. Quemadmodum David & Salomo in suo regno representabant & præfigurabant Christum, principem pacis, cujus principatus amplitudini & paci nullus erit finis, neque tamen cum Christi adventu cessarunt regna & dominia in mundo. Cui accedit, quod ex Iudæorum opinione hæc lex non tantum de primogenito, sed æque de minoribus natu & quibusvis fratribus sit intelligenda.

VII. *Sexto*, neque sufficit sola ratio a Doctissimo Gerharo aliisque allegata, quod fuerit hæc lex mere forensis & positiva, ad Ebræorum Politiam adstricta, ad distinctionem tribuum & familiarum conservandam, cum, viguisse hanc leviratus constitutionem, ante legem Moysi, Iudæis latam, doceat exemplum Iudæ

Gen.

Gen. xxxviii. Cui deinde accessit ritus exalceationis. Utut interesset reipublicæ, ut hæreditatum ratio integra permaneret.

VIII. *Septimo*, quia hac ratione consultum viduæ ἀτέλῃς, dum viduitas status esset miseræ, cui hoc erat solatio, non videtur hoc subtractio, sed additio potius juris naturalis, illius scilicet, quod ab intelligentioribus concluditur, ac secundarium appellari consuevit. Quemadmodum supra ostendimus, filios Adami ducendo sorores suas, non peccasse contra jus naturæ, sed ei potius paruisse, quia id jus naturæ & commune bonum, genus humanum concernens, tunc exigebat, quod postmodum hominibus auctis ac multiplicatis, isti juri adversabatur. *Octavo*, neque nos gentes ad Christianam fidem adductas magis censendæ sunt obligare leges Mosaicæ matrimoniales, quam istum populum, cui Deus sanctas hæc leges singulari ratione dedit. Etsi omni sanctitati studere teneamur nunc sub N. magis, quam sub V. T.

IX. Per modum igitur consilii hoc fere proposuissem, annon hodieque Principibus populi ejusmodi nuptiæ bona conscientia sint permittendæ, ut absque libidine, fratre sine prole defuncto cum ejus vidua relicta consuecant, atque ita idem, quod Deus a populo suo quæri volebat, vel simile commune bonum promoveant, conservationem scilicet familiæ & bonorum, viduæ commodum, & Ecclesiæ ac Reipublicæ salutem? Hæc revera non humana, qualis inter Pontificios obtinet, sed divina dispensatio, seu potius, juris naturæ explicatio dicenda foret. Cum Deus hoc olim mandaverit. Sed tutius legem Levirationis Judæis relinquimus, quos obstrinxisse scribit Seldenus *de Jur. Nat. L. v. c. xx.* non profelytos. Saltem Henrici viii. Anglorum Regis absque dispensatione, matrimonium cum Catharina Arturi fratris vidua licitum fuisset, si illa, ut a nonnullis supponitur, Arturo inaccessa fuerit.

X. Antequam ad reliquas quæstiones transeam, non abs re erit huic explicationi subnectere Responsum juris Hebræi, quod Amstelodamo nuper ad me misit hac de re consultus Clar. Dav. Pina Judæus Zorphati, Med. Doctor & Concionator facundissimus, cujus opera ante decennium, & quod excurrit, usus sum in studio Talmudico. Præmissio pro more præloquio אור החמה המאיר לארץ בחכמתו

ita inquit: על דבר דיבום אמת אוא כי ביום קחתו את אשת אחיו גם הוא ירש את נחלתו והו

K

זה מפורש בתורה ובקבלה ולא יאמר אומר אם לא לכם נחלה שדה זכרם נפוצים בקצה הארץ בטלה מצות יבום בי אין נחלה בארץ אבל תשובתו בצדו כי הגם הלום לא היה מיבם לרשת נחלת אחיו אבל היה יורש נחלת אחיו ביבמו אותה כי איש בית הוא לבא בכנסו שניה כי אף אם לא תהיה לו נחלה גם הוא מיבם ויורש נכסיו כאשר אנחנו עושים היום שלישיה כי יש מצות תלויה בארץ ויש מצות תלויה בגוף האדם ומה שהוא חובת הגוף נוהג בארץ וכרוצה לארץ אם כן מצות הכתוב להקים שם המת ובמקרה קרה לו לרשת נכסיו ולכן קרוביו לא היו מיבמים אם לא היה אח גם כן אם היה לו בת בטלה מצות יבום ואם על הנחלה מיבם למה לא יבמו הקרובים וכן אמרו רבותינו כי ישנו אחיו יחידו המיוחדים בנחלה פרט לאחיו מן האם שאינם מיוחדים בנחלה ואל תקשה לך מעשה בונו שאמר להקים שם המת על נחלתו ולא יכרת שם המת ותקשה עלי כי לא קראו אותו מחלוך כי אם עובר שניה כי לא היה אחיו כי אם קרובו התשובה בזה כי לא היה זה יבום כי אם גאולה כי הנהיגו לפנינו בישראל ורוק ותמצא להראבע על כי שבו אחים יחידו אמרו המכחישים כי אינם אחים ממש כי אם קרובים והביאו ראיה מבונו וכבר אמרו רבותינו כי יחודה התחיל במצות יבום החלה כי כאשר קבל הסוד מאבותינו נודרו להקים אותו וכן אמר הנחמני במעשה המר:

Quæ in Latio ita sonant: Levirationem quod attinet, verum est, quod eo tempore, quo levir fratrem accepit, hereditatem adierit possessionis fratris sui, quod expresse & decise designatum tam in Lege, quam Traditione nostra. Nec est, quod aliquis dicat; si nunc non possidetis possessionem agri & vineæ, qui estis dispersi in extremitate terra, ergo abrogatum est præceptum de leviratione, quando in terra possessionem non habetis. Responsio enim est in promptu, quod etiam nemo leviri jus præstaret eo fine, ut hereditario jure possideret hereditatem fratris sui, sed hereditatem consecutus est fratris sui, quod leviri officium in ea præstaret, tunc enim fuit paterfamilias, qui jure in ejus bona immittebatur. Secundo observari velim, si vel frater defunctus nulla bona immobilia possideat, tamen ille officium leviri præstare tenetur, & mobilia bona hereditate accipit, sicut id hodieque nobis in usu est. Tertio notandum, esse nonnulla præcepta, quæ pendent a terra, alia vero quæ a corpore hominis dependent. Ubi corpus obligatur, id non modo in terra Canaan, verum etiam extra eam in usu nobis est. Ideoque præceptum Scripturæ eo tendit, ut confirmetur & conservetur nomen mortui, tunc simul casu contigit leviro hereditas bonorum fratris. Unde propinqui ejus defuncti uxorem non ducebant, si non adesset frater: Et si filiam haberet, nullum erat jus levirationis. Si vero propter hereditatem leviri officium præstasset, cur propinqui eodem officio non fuissent defuncti? Atque ita tradunt Magistri nostri, si habitaverint fratres ejus pariter, hereditati destinati exceptis fratribus ejus e matre tantum, qui non sunt uniti in possessione.

Nec.

Nec tibi difficilis videatur historia Boazi, quod dixerit (*Ruth. IV. 10.*) ad excitandum nomen mortui in possessionem ejus, ne excindatur nomen demortui; ut inde mihi objicias, quod eum non vocarint Machlon; sed Obed; item quod ille non esset frater, sed propinquus ejus? Respondeo enim, hanc non fuisse levirationem, sed redemptionem vel vindicationem proximi, qui nuper erat mos in Israele. Et si animum advertas, inveneris in *Aben Esra*, super illa verba: Si habitaverint fratres, Abnegantes Traditionem (*Karæos*) censere, quod non sint fratres proprie dicti, sed propinqui, & adducere probationem ex Boazi historia. Et *Rabbini nostri* jam dixerunt, Judam primum incepisse præceptum levirationis, qui mysterium a patribus acceptum expeditus festinaverit illud confirmare. Ita quoque *Nachmanides* in historia *Thamar*. Quæ omnia cum iis conferri possunt, quæ passim de hoc jure in Hebræorum & Christianorum libris referuntur. Confer *Dissert. nostræ primæ Sect. IV. Cap. VII.* De ritu levirationis prolixè *Seldenus*, aliique complures.

XI. *Questio secunda* est, An defunctæ uxoris sororem, ducere fas sit? Respond. Nequaquam; sive sit soror germana, sive consanguinea, sive uterina, sive legitima, sive naturalis tantum, haud secus illa mihi interdicitur, ac mea propria soror *com. 9. & 11.* contrarium licet statuentibus vulgo Judæis, Pontificiis & quibusdam aliis. *Elias ben Mosche* tamen, cæterique *Karæi* testantur, sororem per argumentationem *ver. 14.* prohibitam esse. Vide sis *Dissert. nostræ I. Sect. IV. Cap. IV. Th. XIX.* Cum per analogiam ejusmodi matrimonium æque sit prohibitum hoc *commate. 16. Cap. XVIII.* Levitici, ubi eadem est carnis propinquitas, cum uxore fratris. Nec est, quod mireris, *Lector*, hanc quæstionem ad hoc comma a me referri, cum *Dissertat. primæ Sect. IV. Cap. IX.* abunde demonstratum, *com. 18.* de polygamia exponendum. Ita venerandus *Beza de Re. & Div. pag. m. 79. 80;* paria esse duobus fratribus eandem, & duabus sororibus eundem conjugari, & cum beato *Calvino* *versum 18.* de polygamia intelligi, docet. *Doctiss. Gerhardus de Conjug. §. 347—350.* ex *versu 18.* uxoris sororem vetitam esse probat, haud ita feliciter, uti *l. c. Dissert. nostræ primæ* ostensum, quia illic additæ restrictiones, in *vita ejus*, ad affligendam eam, satis evincunt, interdictum illud de muliere post alterius mortem, explicari non posse. Ita *Brochmandus* in *Syst. Theol. loco de Conj. Cap. IV. q. 41.* eum casum prohibitum esse